



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs

Wintrich, Victor

Coloniæ, 1644

Discvrsvs X. Quia venit Rex frequens templorum Visitor, & orationum
Amator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

 DISCVRSVS X.

*Benedictus qui venit in nomine
Domini. Matth. 21.*

Quia venit Rex frequens
templorum Visitator, & o-
rationum Amator.

Viso quomodo Reges vt benedi-
cti pace fruuntur, dilatatores
iniusti Regnorum esse non de-
beant, nunc quomodo pietati, ad o-
mnia utili, studere habeant, osten-
dam.

Ordine consueto.

Primò, Reges sint deuoti.

Secundò, damna indeuotorum.

Tertiò, Christi in pietate & deuotione
exempla.

K 6

PRIN-

PRINCIPES TEMPLA HONORANT.

Bias Leges suas hac vltima concludens, sic sanxit:

Gubernator singulis septimanis supplicatum Dijs ito, & templa visitato; qui contra fecerit, non solum Magistratui abdicator, sed etiam vita defunctus sepultura careto. Principis enim, qui dum viuit, Deos non honorat, exuias vbi sepultus fuit, honorari absurdum.

Quod ratione duce Ethnici Principes gloriae reputabant, hoc luce fidei docti Christiani Principes in opprobria minime reponant, deuotionem scilicet erga templa, Deum, sacrificia. Libet proinde & profanorum & sacrorum Scriptorum ad rem hanc producere monumenta. Romanorum erga Deos reuerentiam & deuotionem, summa eorum laude & immortali gloria Liuius hisce verbis testatam reliquit: Omnium, inquit, magnarum rerum principia Romani a Dijs exorsi sunt, qui tam religiosi erant, ut non fas fuerit Principem Romanum sibi domum & edificare, nisi & dem prius Dijs Ciuitatis posuisset.

Cum

3
1
Lith. 45.

Cum Galli Romam occuparent, & Capitolium obsiderent, venit cum illis Romam Philosophus Brunillus, qui expulsis Gallis ibidem permanens, tanto ab vniuersis Romanis honore habitus fuit, vt primus ille fuerit exterorum, cui Romani adhuc viuenti statuam erigerent, non ob hoc solum, quod toto illo tempore quod cum illis egit, nullo vnquam crimine fuerit notatus, quæ quidem non vulgaris est excellentia: raro enim sunt longæui, qui non sint infamia aliqua notati; sed maximè ob hoc, quod tres aut quatuor nonnunquam annos ita exegerit, vt nunquam templis excederet, & quod frequentius cum Dijs, quàm cum hominibus colloquebatur. Ascribo huius Philosophi, dum morti appropinquaret, ad Senatum perorantis verba, quibus palam fiat quàm religiosus hic in Deorum fuerit ipse obsequio, & omnes esse Romanos voluerit: Arcanum, aiebat, quippiam vobis, P. C. quod ad vestram spectat Rempubl. patefaciam: Romulus Pater noster Romam fundauit, Numa Capitolium condidit, Ancus Martius mœnibus urbem cinxit, Brutus à ty-

K 7

rannis

rannis eam liberavit, Camillus ille optimus Gallos vrbe expulit, & Quintius Cincianatus Regnis eam auxit; ego verò Dijs abundantem illam relinquo, qui meliùs urbem, quàm vlli vel muri vel viri defendent. Omninò enim plus vnus Dei fauor, quàm omnium hominum robur valet. Quo tempore Romam veni, magnum erat dedecus, videre urbem adeo à Dijs inopem, nam tantùm quinque habebat; nempe Iouem, Martem, Ianum, Berecynthium, & Vestam; iam verò alio loco res sunt, cùm Deum singuli tutelarem habeant: iniquissimum enim est, ararium nummis plenum esse, templum autem Dijs vacuum conspici. Verè benedictus hic Bruxillus erat, si quod multis impendit Dijs obsequi, vni soli & vero impendisset Deo. Quo tempore Romani bellum cum Faliscis & Capenatibus gerebant, victi fuerunt duo Romanorum Duces. Ceterùm dum Marcus Furius Camillus ei bello dux præfektus esset, antequam ad bellum proficisceretur, splendida Dijs Romæ sacrificia fecit, & si victor reuerteretur, ædem se conditurum amplissimam vouit. Camillus

3
3
LIII. 5.

lus ergo victor redux, non modò tem-
 plum, quod vouerat, condidit, sed o-
 mnibus etiam, quæ de præda & triumpho
 illi obtigerat opibus, illud locupletauit:
 cumq; nonnulli obniterentur Duces, a-
 nimum Dijs consecrare, pecunias verò
 militibus diuidere oportere dictitantes:
 Ego, inquit, vt homo, vnum à Dijs trium-
 phum petij, ipsi verò vt Dij, multos mihi
 dederant, quamobrem iustum mihi vi-
 detur, vt si in promittendo parcus fui,
 in præstandis promissis largus sim. Cum
 Q. Fabius & P. Decius bellum contra Sa-
 mnites, Hætruscos & Umbros parabant,
 multa Romæ signa & prodigia conspecta
 sunt horrenda & formidabilia, quæ pa-
 uorè non tantùm intuentibus, sed etiam
 audientibus incusserunt; itaque Romani
 viri foeminaq; dies & noctes plurimis &
 maximis Deos sacrificijs placabant, Dijs
 Romanis semel placatis, nullã dictitantes
 in bellis cladem ampliùs esse metuendã.

Hæc Gentilium pauca allata exempla
 meritò redarguunt & pudefaciunt Chri-
 stianos Principes: turpe enim dictu est,
 Romanos veteres Dijs vanis tam seriò
 seruijsse, & Christianos maxima ex parte
 vero

VERO

vero Deo per ludum seruire. Sed nec me-
sacrum deserunt scripta, quibus pro-
positum confirmem. Quid enim Iudæi,
eorumq; belli Duces, & populi Principes,
depositis armis, primò aggressi sunt age-
re quàm templum restaurare, sacra pol-
luta mundare, altaria consecrare? Testes
huius sunt Iosue, Machabæi, & alij plu-
rimi.

Quanta cura & sollicitudine benedi-
ctus ille Iudæ & Israël's Rex impensas
pro templi mole construenda prouidit?
2. Par. 29. Domus, inquit, quam edificari volo, ta-
lis esse debet, vt in cunctis regionibus no-
minetur. Et ob hanc causam omnes præ-
parauit impensas.

DAMNA VIOLATORVM. TEM- PLORVM.

Quàm verò laudabiles deuoti Prin-
cipes in templorum veneratione, & o-
rationum fusione, tam vituperabiles &
pœnis obnoxij sunt eorundem violato-
res. Audi quid Marcus Aurelius mortui
proximus testamenti loco Commendo
filio, quem Imperij successorem reliquit,
recommendaret: Commendo tibi, fili,
inquit,

inquit, ædium sacrarum curam, ne scilicet irreuerenter tractentur: Cogita, inquit, fili, Dijs seruire, templa honorare, Sacerdotes venerari, res esse Principi nō arbitrarias, sed maximē necessarias: & caulam addit: Tam diu enim Romanorū durauit gloria, quamdiu Deorum tuorū cultores, & de templis solliciti fuerunt, infelix Poenorum Regnum, neque magis uexors neq; minūs opulentum Romano fuit, veruntamen à Romanis victi sunt, quia thesaurorum amatores maximi, & negligentes templorum cultores fuerunt. Hæc ille. Idem damni Romanis accidisse, his uersibus testatur:

*Delicta maiorum immeritis lues,
Romane, donec templa refeceris,
Aedesq; labentes Deorum,
Æda nigro simulacra fumo.*

Annon apud Babyloniam Balthassar, *Dan. 5.*
quòd uasa sacra, quæ pater eius ex tēplo
asportauerat, in conuiuio ad ostentationem
proferret, eadem nocte & regno &
uita exutus est? Cur Iudeorum Respubl.
toties pēnas dedit, ut *seminaret multum, Agg. 1.*
meteret parum, comederet & non saturaretur,
operiret se & non calefieret, respiceret

ret

ret ad amplius, & fieret minus, inferret in domum, & exsufflaret illud Deus? Quia domus Dei deserta. Apertam fatis & terrificam Paulus minationem ingerit, dum dicit: Si quis templa Dei violauerit, disperdet eum Deus.

CHRISTVS TEMPLA VENERATUR.

Benedictus itaq; Christus Rex noster, qui ad omnium Regum formationem templis desert, orationibus semper intentus. Verè, Christe, Princeps benedictus es, tu enim templa frequentasti, tu preces ingeminasti, tu omnium magnarum rerum principium orsus es à Deo. Prædicationem incepturus orat, ieiunat, *Marth. 4* contemplatur. *Ductus est Iesus à spiritu in desertum.* Discipulos electurus *pernoctauit in oratione.* Miracula facturus *Luc. 6.* *Ioan. 6.* *Hebr. 8.* *coelum suspicit, orat, gratias agit, & vitam denique cum sanguine, lachrymis & precibus effudit.* Igitur benedictus Rex pacificus, & cum illo benedicti Principes, si deuotioni sese dederint. Pietas ad omnia utilis. Quid Principes petunt? Victoriam? Prosperitatem? Pacem? Pietas ad omnia utilis.

Con-


Concludo hæc tali, cum Olo Magno
ad Regem benedictum, voto: Tu, ô Rex
gloriz, sis Principi nostro, Imperatori
nostro, contra acies inimicorum, lorica
in aduersis galea, in prosperis sapientia,
in protectione clypeus sempiternus: &
præsta, vt gentes teneant illi fidem, Pro-
ceres habeant pacem, diligant charita-
tem, fugiant cupiditatem, loquantur iu-
stitiam, custodiant veritatem, vt semper
maneant tripudiantes, & in pace victo-
res. Amen.

Tertullianus Apologet. c. 30.

Coelum suspicientes Christiani man-
bus expansis, quia innocuis capite nudo,
quia non erubescimus, deniq; sine mo-
nitore, quia de pectore, oramus pro Im-
peratoribus, precantes vitam illis proli-
xam, Imperium securum, domum tu-
tam, Exercitus fortes, Senatam fidelem,
populum probum, orbem quietum,
& quæcunq; hominis & Cæ-
saris vota sunt.

* *
*

F I N I S.



3
1